

producunt, quales sunt omnes vehementes evacuationes, aut repletiones; omnes nimiae sanguinis inspissationes glutinosae, pingues, inflammatoriae; omnes causae cerebrum ipsum comprimentes, qualescunque fuerint; quae eadem in nervos, si agunt, eadem fere efficiunt.

705. Unde iterum patet, a Medico per signa prius indagandam causam illam singularem esse, antequam definire queat, quid applicandum sit, & quomodo: nam saepe contraria exiguntur; & saepe coma diu pertinax, irritato tentatis omnibus, sponte tandem cessat, pepasmo febris absoluto.

706. Illa autem, duae delirio, hic apta (702.), inprimis fomenta capiti, colloque applicata.

707. Si autem magnae inflammationis signa adsint, curandum ut morbus princeps, de quo postea.

PERVIGILIUM FEBRILE.

708. **C**ontrarium illi malo (703.) est Pervigilium; unde intelligitur: & pro causa habet plerumque levissimae inflammationis cerebri prima initia, quibus auctis in coma mutatur saepe.

709. Curatur quiete musculari corporis;
pace

pace mentis; absentia objectorum sensuum; frigore modico; aere humido; victu blando emolliente; potu farinoso, leni, emolliente; susurro leni, assiduo, grato, blande tinnulo; medicamentis farinosis, suboleosis, humectantibus, demulcentibus; odore vegetabilium soporiferorum; usu anodynorum, paregoricorum, soporiferorum, narcoticorum; praemissis semper, quae inflammationi curandae, & com-pescendo ejus incremento, valent.

CONVULSIO FEBRILIS.

710. **C**onvulsio prius descripta (230. ad 239.) hic semper a vitio cerebri, quod vel ab inferioribus per nervos, (627. 631. 632. 633. 642. 648. 649. 652. 653. 654.) cerebrum vellicantibus afficitur; vel ex inordinato appulsu, transfluxu, egressu liquidi cerebrosi, quod oriri potest ex omni illa causa, quae deliria, comata, pervigilia creare potest (701. 702. 703. 704. 708.), quare iterum magna hic varietas in aetologia, & curatione.

711. Si diu perseverat, commercio nervorum facile totum genus nervosum afficit, unde tristia mala.

712. Si inflammationis cerebri signa praegressa subsequitur convulsio, fere lethalis.